



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



EXERCITATIO
BIBLICA
DE
SAMSONE
INSTRUCTIS AD
INCENDIUM VULPIBUS
AGROS COMBURENTE
PHILISTÆORUM.


AUCTORE
FRANCISCO WÖRGERO.

LUBECÆ,
Impensis JOHANNIS WIEDEMAYERI,
An. 1699.

561/1

Reverendo atq; Clarissimo
V I R O
DN. M. JACOBO à MELLE,
ad S. Mariæ Ecclesiastæ
vigilantissimo.

Quam frustra sint, qui absq; ulla historiarum atq; vix mediocri antiquitatis notitiâ scripturam sacram, suis commentariis solius freti Grammaticæ Hebraicæ adjumento, illustratum eunt, hâc levicula ostendere est animus dissertatiunculâ. Equidem in oculis profanorum ludicra isthæc, quam offero hîc, materia videbitur, haut levibus tamen documentis referta. Hanc è volumine dissertationum mearum nondum editarum selegi, tuove nomini consecravi, qui vestigiis avi tui materni JAC. STOLTERFOTI, ET JOH. KIRCHMANNI atavi insists, historiarum non modò evolventiarum insigni ducis studio, sed homiletica etiam tractas exemplo Rev. admodum Senioris nostri DN. M. BERNHARDI KRECHTINGII, quem pater quondam meus, cum ejus parentes mercaturæ illum destinassent, ad sacram felicissimè reduxit cathedram. Duplici igitur tibi nomine hæc inscribitur atque dedicatur exercitatio, dum mea insuper, omnia scripta novis literariis vestris inseruistis, ut judicium faciat lector è levissimo, quod elaboravi argumento, quid habendum sit de aliis, quæ majoris momenti sunt, materiis, præsertim cum tot sua voluminæ auctores in lucem protrudant, in quibus nihil occurrit quod centies & forsân melius ab aliis jam est scriptum. Vale.



CAP. I.

Num de particula alicujus historiae Biblicae liceat dubitare, & historiae Simsonianae ipsos quoque famam ad paganos dimanasse.

Venerabilis omnisque adeo antiquitatis Ecclesiasticae promus Condus, Georgius Calixtus (a) quaestionem objicit, quae hic in limine dissertationis nostrae collocetur, omnino dignam: *Si quaesiveris, quid statuendum de homine, qui hanc vel illam historiam, verbi gratia de Ammone & Thamara 2. Sam. 13. v. 10. historiaeque aliquam partem scripturam comprehensam repudiaverit? Respondeo, casum ejusmodi fingi, non dari, nempe ut scripturam quis recipiat, & partem tamen ejus, quam recipit, rejiciat. Interim fieri potest, ut liber aliquis, vel libri pars innoxie indubium vocetur, quod testium, vel codicum consensu, quali caetera comprobantur, fulciri non videatur. Si itaque dubitandi ratio fuerit, nemini dari potest crimini, quod Canonicam auctoritatem*

A 2

ali-

(a) *Contra Moguntinos Part. I. lb. 76.*

alicujus scripti particulave ejus indubium vocet, aut planè neget, quod variis illic confirmat exemplis, nec à nobis jam vocatur in litem. Illud extra omnem dubitationis aleam est positum, historiâ Ammonis perquam hodieque salutaria documenta & aulis & universæ proponi ecclesiæ in exemplum, quam sollicitè decorem virginitatis illibatum servaverint Israëlità vel intra secretos parietes, quantove Zelo violatam vindicaverint castitatem (id quod & è Sichemitarum strage jam olim (2) innotuerat orbi, cum vitiata esset Dina filia Jacobi) quæ sanè scelera pro ludo & joco, præsertim si occultè patrantur, hodierni deputant deistæ ac hypocritæ.

Vide enim & perpende scriptoris sacri in capite illo 13. libri Regum, sive Samuelis posterioris diligentiam: *Ammon filius David, cum adamaret, imò deperiret Thamar, ita ut propter ejus amorem egrotaret, quia cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhonesti ageret cum ea. Cumq; insidias enarrasset virgini structas incestumque infecutum ipso Davide introitum antea permitte ad Ammonem, addit luctum scriptor defloratæ virginis satis graphicè: *induta erat talari tunica, hujusmodi enim filie Regis virgines vestibus utebantur, quæ aspergens cinerem**

(2) Vid. omnino disp. 2. Benedicti Perceiræ in *Genes. c. 34. & aliorum.*

rem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque super caput suum manibus miserabiliter plangebatur. Quod flagitium, dum pater Ammoni velut primogenito filio pepercit, capite luit procul ministris suis ab Absolone fratre Thamaris obruncatus. Hæc sanè perquam salutaria documenta in historiâ illa tragica haut fuerant insuper habenda, uti etiam in aliis comparatum est mysteriis, quemadmodum Salomon Glassius istud observat in dedicatione *Philologie sacrae* merito hîc inferendum: *Quæ non danda opera Christianis est, & quæ non suscipienda in Domino cognitio atque cura, ut fundamento isti fidei ac salutis æternæ unico, solido, & divino suo apud omnes constet auctoritas, quò potentiores sunt portæ inferorum (a) quæ fundamentum istud, & consequenter quæ superstructa est Domum DEI, ecclesiam veram subruere & subvertere funditus conantur, etsi in æternum id quod malignè machinantur, ex Servatoris nostri promisso effectura non sint.* Idcirco, ne impii illum lugubrem casum allegent in exemplum fucandæ turpitudini suæ, exerte additur à scriptore divino v. 20. *Mansit itaq; Thamar contabescens in domo Absolonis fratris sui, nullo cum viro nupta.*

Frustra ergo agit cohors maligna indefesso studio Diaboli, quo dubiam (ac contem-

A 3

ptam)

(a) Matth. 16. v. 18.

ptam) *piis mentibus reddere studet scripturam sacram, & si fieri possit, usum ejusdem (salutarem) ex ecclesiâ proscribere atque ita omnem ex animis Christianorum pietatem exsculpere satagit, addit porro Glassius. Quocirca, cur memoratus Calixtus exemplum Ammonis atque Thamaris elegerit suæ quæstioni firmandæ, animadvertere mihi non licet. Neque enim audeo dicere, propter incestus immane scandalum fatius duxisse, quod non fuisset in literas relatum sacras, tantique Prophetæ ac Regis, qualis David celebratur, personâ ac familia istam esse maculam planè indignam, ac facilè posse à sceleratis insuper trahi in exemplum. An id senserit Calixtus, nolo definire, mihi tamen certa stat sententia, consultò nec sine gravi causa illam historiam à divino scriptore nobis esse commemoratam, dum, quæ diaboli instigantis extrema est protervia, & hodie patrantur nonnunquam talia flagitia, & memini, me virum eximium, cujus domui ejusmodi incestifica turpitudine acciderat, cum eapropter animum planè desponderet, illo ipso exemplo (Davidem, hanc plagam similiter & multò quidem atrocius ac illum tot cædibus insecutis sustinuisse) haut leviter refocillasse. Ad alterum verò, quod ait, *casum ejusmodi non dari, sed fingi, nempe, ut scripturam quis recipi-**

cipiat, & partem tamen ejus, quam recipit, rejiciat. Regero, mihi obvenisse talem casum, & ad hanc quidem ipsam de vulpibus Samsonis historiam, quem mox pluribus recensebo.

Nihil autem hic ex professo nobis comērcii est cum Spinosa (a) & similibus atheis, historiam Samsonis velut fabulosam explo- dentibus, quæ tantæ sanè cladi fuit Philis- tæis, ut & in sacra gentilium abierit, do- cente Pineda *in cap. 1. Jobi p. 93.* Samson vulpina opera usus plusquam trecentas vulpeculas accensis facibus ligatis ad cau- das in segetes dimisit, quas cum vinetis quoque & olivetis demolitus est atq; con- sumpsit --- Hinc in ludis cerealibus, qui in Cereris honorem magnificentissimè fie- bant, vulpes stipulis allegatæ accensa flam- ma cursitare in circo maximo cogebantur, cujus rei Alexander ab Alexandro l. 5. c. 26. testis est, & pluribus diducit Bochartus *in Hierozoicó Part. 1. l. 3. c. 13. columnis 856. 857. 858.* Ignis enim, si vel modica ac vix fumigans scintilla sub tam calido climate

A 4 sege-

(a) Sic rudio rem stylum, seu fingit, seu dedita opera impugnat, *velut rustici Prophetæ Amos;* idem Spinosa tract. *theolog. polit. c. 2. p. 19. fine & seq. 20. princ.* Cujus contra Elo- quentiam mirè celebrat Augustinus *de doctr. Christiana l. 4. c. 7.*

segetibus inferatur, repentino augmento omnia ibi mox involvit: Cumque tot variis locis dimitteret vulpes Simson, sonuere incendio Sylvæ & quicquid in campis videbatur vineisque, vel horæ momento rapacibus flammis est haustum, ut horribilis hujus vastationis fama etiam ad exterarum gentes pervagata fuerit. Sic unâ Simson operâ patriam à feris asseruit noxiis, quippe quæ eidem sese implicuere incendio, & Philistæis maximum creavit malum, dum per anfractus quæque suos mox tendentes vulpes ac cavernas, sinuosis latius viis diffudere flammam, locumve & hîc habent verba Ariæ Montani de Simfone: *Fieri non poterat, ut unus tot res adversus tam multos tam feliciter efficere potuisset, nisi dextro, propitio, presenteq; numine & spiritu robur atq; animas seruo suo sibi dicato suggerente, cui nec numen ipsum divinum sine causa justâ adfuisset.*

Extat egregia dissertatio, de moralitate facti Simsonis, sub Præsidio Knopffii habita Helmstadii 1688. è qua illustrando nostro proposito nonnulla inferemus: *Non hîc, Petro Martyre teste, de Simfone judicandum est, (a) ut de persona privata, sed ut de magistratu, quem ipse DEUS constituerat. Homini privato illicita fuisset vindicta ejusmodi, cum*
in

(a) Conf. Estius in *Jud. c. 15. v. 3. de difficil. locis S. Scripturæ.*

in tali casu valeat illud Pauli : *Locum date iræ divina : mihi vindictam , & ego retribuam , dicit Dominus.* Sed quod ad publicas injurias attinet, de iis longè aliter est sentiendum : ibi enim magistratus & potest & debet injurias vindicare idque jussu DEI ac auctori- tate , qua pollet ut magistratus. Agit namque in his terris vices DEI nec gladium frustra gerit , sed ut DEUS per ipsum demalis exigat pœnas. (a) Vocatus enim erat Simson Salvator & Redemptor populi , ut eum redimeret è manu hostium Philistæorum. (b) Nihil hinc aliud faciebat , quam ut consuleret toti Israëlitarum Reipublicæ , uti eventus docuit. Munitus erat auctori- tate divina ad opprimendos Philistæos & ad vindicandam gloriam DEI , ut eò collineat Augustinus : *Spiritus DEI hoc latenter jusserat.* Privatam quidem videtur intendere vindictam , & tamen de his Scriptura dicit , omnia sic permiffa esse à DEO , ut causa & prætextus esset ipsis nocendi : quia Philistæi dominabantur super Israël : Et sic revera hoc loco Simson nihil aliud pro objecto habebat , quam suæ vocationis im- pletionem , rei que publicæ liberationem , quamquam hæc liberatio conjuncta erat cum dispendio (fortunarum Philistina- rum , imo ipsius postea) vitæ Simsonis , ni-

A 5

hil

(a) Th. 12. (b) Th. 13.

hil tamen aliud faciebat, quam debebat facere. Quilibet enim præter DEUM & post DEUM vitam debet patriæ; nihilque aliud pro patria moriens facit, quam ut concessum DEO reddat patriæque (& ecclesiæ veræ) debitum reddat. (a)

Quo circa qui illotis, quod dicitur, manibus, isthæc sacra excutiunt, næ cum animæ tum suæ tum aliorum, quos suis argutiis haut leviter turbant, periculo atque exitio enormiter peccant. Et recens mihi ad manum exemplum est, quam male cesserit huic profano capiti dicteriis & argutiis affectatis è scripturâ risum captare politicorum dicam an atheorum, nisi nomini alias orbi fatis noto parcere juberet Christiana pietas. *Indignum se reddit favore Numinis, qui quod falsum esse novit, suffragio vel testimonio suo fulcit, quamvis de re agatur non maximi momenti & in quotidiano commercio positâ. Quanto magis igitur excidet divina gratia, & damnationis reatum incurret, qui veritatem, quam in sanctissimo religionis negotio perspectam habet, tenebris involvit ne appareat, aut Sophismatibus opprimit, ne emergent?* (b) Atqui isti agyræ irreverenter in mysteria divinæ ipsius at-

(a) Th. 15. (b) Calixtus Præfat. ad Princ. Augustum dissert. *contra communionem sub una præfixa.*

Multos esse tibi nôrat, gens, impia, di-
vos,

Nôrat multa tibi crebraque festa,
DEÛM.

*Astaron, Astartenque, & numina tot mu-
scarum,*

Dagonemque patrem, militiamque poli.
Credidit exiguam hanc Samson nimis es-
se Deorum,

Summam : pauca nimis, Dîs sacra,
festa coli.

Addere Dîs voluit vestris unum, unica
sacra,

A vestris nondum sacra recepta,
tholis.

Mulciber & *Vulcanus* & Ambarvalia
deêrant,

Ne defint vulpes & vaga flamma ca-
vent.

Rectè igitur contra Spinofam Ferdinandi
de Escalante verba accommodari possunt
*è clypeo concionatorum l. 4. c. 3. Liber Judicium
trahat de DEO ut Salvatore à nationibus in-
circumcisis, qui ejus populum graviter opprime-
bant. — In his autem multa & magna nobis
traduntur de Christò mysteria, quæ præter a-
lios prolixo sermone 107. de tempore exposuit
Augustinus (a) Hem ! quantum divine pro-
viden-*

(a) Conf. Leonardi Coquzi *Comment. in lib. 1.*
c. 21. *De Civit. DEI.*

videntia prodigium est, quod fortitudinem fortium per debilitatem expugnat! Universam Ægyptum virgæ Mosaicæ ministerio, per sciniphes, locustas, ranas, tenebras, muscas, subjiciat, Philistæos mantibula conterat! exclamat meritò Joh. Petrus Camufius de Passione homil. 23. p. 277. fine: Samson maxilla asini tantam stragem edit, quantum alii machinis aeneis vix edere possunt addit orat. de Samfone Strigelius: Et in Lucæ c. 18. p. 338. col. 2. Didacus Stella: Samson hac tactus vanitate dixit Jud. 14. v. 16. In mandibula asini percussit eos: Quamvis Dominus percusserat, dixit, se percussisse. Quapropter statim DEUS illum magnâ siti percussit, ita ut pene moreretur.

Sed quoniam hac vice nihil mihi rei fore dixi cum atheis (a) qui divinitatem impugnant scripturæ, redeo unde paulisper digressus sum ad propositum, & quem casum fingi Calixtus putabat, eum in hac ipsa historia Samsonis mihi obtigisse Jenæ assevero anno 1664. uti honestissimus amicus ac mensæ ejusdem mecum socius Georgius Böhme Uratislaviensis, quem ante paucos annos adhuc juri practico feliciter operam dare in patria, Clarissimi Job. Christiani Hallmanni, me docuere literæ, eo nomine hanc sibi suspectam videri narrationem

(a) Vid. *Psychologiam nostram Salomonis contra Spinosam* c. 3. & 6.

nem affirmabat, quod tantam vulpium multitudinem à Samfone capi potuisse haut putaret. Respondebam ego, si ad solam multitudinem spectaret, tot Lubecæ oblongis perticis alligatas esse vulpinas caudas, quibus araneorum texta dejiciuntur, ut si quis numerum earum iniret, multorum millium summam illas superare certò deprehenderet, sed quoniam mea responsione istum homini scrupulum magis exagitare quam evellere mihi videbar, jam tum in animum induxi, data commodâ occasione singulari illam historiam proponere diatribâ, quippe quæ & jucunda atque notatu etiam quædam nec indigna complecteretur, & qua cordatos moveri certus essem.

Scripsit alius item Pastor Holsaticus libellum, cui titulus *Postillen Pest 1663. Lipsiæ excusum*, sub cujus finem quæritur nobiles & hanc de Simfone historiam cum aliis petulanter traducere. Die meisten Politici, darunter viele Atheisten / disputiren aus der Schrift nicht von dem / was des Glaubens Fundament betrifft / sondern haben ihr Gespött mit ein- oder anderer Biblischen Geschichte / als mit den Füchsen oder Esels Rinnbacken des Simsons / mit der Abisag von Sunem / die den David erwärmet / dergleichen sie auch gern hätten / oder mit vielen
 Weis

Weibern Salomo / oder mit Abrahams
 Magd. Sed ut de Simfone jam non dicam
 sive quæ dixi repetam, Davidis sanè admi-
 rabilis ac stupenda continentia confundit
 potius quam ut juvet istos Epicuri de grege
 porcos; virginalem pulcherrimæ Abisag
 florem haut libantis in oblatâ tam oppor-
 tunâ atque crebra concumbendi licentiâ,
 neque Abrahami factum, in quo nec unum
 latet mysterium huc torquendum, qui so-
 boli tantum procreandæ tunc instigante
 uxore ipsa Sara per omnem aliàs vitam in-
 sterilissimo licet conjugio sanctæ litavit
 Castimonix. Salomonis denique libidines
 purpuratæque deliciae haut proponuntur
 in exemplum, sed describuntur velut de-
 testandæ quippe quæ non modo illi tempo-
 ralem (annum siquidem 52. attigit (a) A-
 barbanele teste) verum etiam sempiternam
 accelerarunt mortem, cum rationes pro sa-
 lute ipsius nullo diluantur negotio. Re-
 vertimur jam è diverticulo in viam. Nihil
 enim tam leviter existimari in sacro codice
 potest, quod non nisi statim refecetur,
 grandiori viam errori muniat, authentiam-
 que postea omnem divinæ scripturæ peni-
 tus conculcet. Manum itaque admoveo exi-
 guo huic quicquid adhuc super est, labori.

CAP.

(a) Alio loco ulterius istud contra Salianum, atq;
 Cornelium confirmavi.

CAP. II.

Quomodo ceperit sive capiendas curarit Samson vulpes istas, & cur ita puniti fuerint Philistæi.

IGitur isthæc difficultas, quam moliebatur vir alias eruditus & ad leges modestiæ apprimè compositus, de solo numero vulpium, non est tanti, quia *Palestina illis mirè abundat, quare in ruinis Jerusalem Threnorum. V. 18. habitare dicuntur vulpes* testante Sanctio in *Cantic. c. 2. p. 117.* Et mox istud ipso Samsonis illustrat exemplo: *Samson trecentas vulpes brevi venatus esse commemoratur Jud. 15. v. 4.* Cumque ejusdem non solum sed & aliorum locorum à vulpium frequentia nomen gerentium Bochartus mentionem fecisset, haut fuisset opus, ut statueret vir clarissimus, *vulpium nomen potuisse etiam complecti Thoës propterea, quod quandoque ducentos in unum gregem convenire Thoas scripserit Bellonius: quid vetat enim idem asseverare de vulpibus quas (veluti quoque simias & cercopithecus) turmatim copiosis concurrere gregibus docent itinerariorum Orientalium Conditores.* Nec altera conjectura Cornelii à Lapide locum tueri videtur, ac si captura illa humanum superassèt modum aut industriam, *Deum per Angelos secundantem actus Samsonis has vulpes collegisse eo loco & modo,*

modo, quo sciebat facilè à Samfone capiendas, sicut animalia omnia adduxit ad Noë tempore diluvii, ut ipse ea eorumq; stirpem servaret in arcâ, aut certè artem & rationem has vulpes capiendi Samsoni suggestisse. Melius multò Petrus Martyr. In Anglia maximus est proventus cuniculorum, quod etiam de Insulis Balearibus traditur, iis in regionibus quispiam facilè potest uno die parvoque agri spatio trecentos aut quadringentos cuniculos capere, quod aliis fortasse incredibile videtur. Vulpium autem dicitur maxima copia in Syriâ esse & præsertim ubi attingit Judeam. Quin imò Gotthardus Olearius refert ad annum 1610. in Chronico Hallensi pag. 343. talpas septuaginta duas ab homine uno paucis horis fuisse captas & omnes quidem adhuc vivas. Ein Maulwurff-Jänger sieng auff der kleinen Pfingst-Wiesen 72. Maulwürffe / und brachte sie alle lebendig auff's Rathhaus. Quis igitur in Palæstinâ trecentarum vulpium capturam statueret tam difficilem, cum ex capite 4. Nebem. v. 3. colligatur, tantum fuisse numerum earum, ut mœnia civitatis quodammodo potuerint evertere. Rectè hinc Ægydius Hunnius in Colloquio Ratisbonensi interrogantibus, num velut articulum fidei admitteret canem Tobix caudâ blandientē? Se quidem isthæc, regerebat rogantibus, non veluti articulos fidei habere, in ho-

B

no-

norem tamen Spiritus Sancti numerum trecentarum vulpium Samsonis ratum habere. (a)

Accedit alia ratio à fonte Hebraico petita: *Et ivit Samson five ivit* (id est eo curas atque infidias direxit) *eundo sæpius ac circumveniando*, ut in more positum est venatoribus, & cepit manifesto indicio, non uno die aut mense istas vulpes constrietas, cum tota regio illi patuerit, eave omnia loca, quæ in Palæstina aut circa Palæstinam à vulpibus sunt nominata, uti supra dixi, nimirum *terra Sual*, id est, *terra vulpis* 1. Sam. 13. v. 17. Et *Hatsar-sual*, seu *castrum vulpis* Judæ urbs Jos. 15. v. 28 vel Simeonis Jos. 19. v. 3. & 1. Paralip. 4. v. 28. & Nehem. 11. v. 27. præter jam nominatam *Danitarum Saalabim* Jos. 19. v. 42. item v. 11. juxta Syriacam versionem *collem vulpis* & Jud. 1. v. 35. Harum igitur caudas colligavit, unde in diversa distractæ nec liberè auffugere potuerunt, nec in cavernas se vicissim consvetas proripere, ut agitatæ titionibus eò majorem cladem inferrent mesfi Philistæorum. Nam si singulis singulas faces alligasset, traxissent cauda per terras ac celerrimo motu restinxissent gliscentem in illis flammam, quam in diversa nitentes magis excitarunt, donec se periculo subducturæ ipsis altis immiscuere se-

(a) apud Joh. Lythanium in *Florilegio Lutherano*
pag. 303.

getibus, seque simul cum omnibus tritici acervis fœdo consumpsere incendio, istud enim partim jacebat demessum, partim vero erectum stabat in culmis, quos hilares messis fructus exortus velut impetu ignis omnes devastavit, & latitudo hujus vastationis ex eò etiam amplificatur à Wolffgango Frantzio, *quod vulpes vel septem aditus habent ad suum lustrum*, (a) quo latius igitur sunt vagatæ, eò nocentius sunt titionibus suis inflammatis in vineta tunc hostium grassatæ.

Tertiò licet insignis venator potuerit esse Samson, ait vicissim Bochartus, non est tamen, quod quisquam sibi fingat, eum trecentas illas vulpes solum per se cepisse. Potuit id per amicos facere, aut etiam quia Judæorum præerat universæ genti, tribui saltem suæ publicam vulpium venationem indicere, idcirco quod quis per alium facit, id censetur ipse facere, & istud, uti supra jam dixi, ita probat Petrus Martyr: *Nemi nisi quidem privato licet ad hunc modum suas injurias persequi, ad magistratum potius eundum est. At Simson jam ut magistratus à DEO constitutus fuerat, nemo igitur de Simsone ut privato homine cogitet.* Quot manus igitur hîc ad venandum opitulatæ sunt Samsoni? Adamus certè Olearius *in itinere Persico* pag. 422. memorat, Regem Tamas cervos bis mille

B 2

uno

(a) *Hist. Sacr. animalium*, Part. I. c. 17.

uno confecisse venatu, cujus rei memoriam turrim grandem excitari jusfit è meris cornibus, *Keleminar* adhuc dictam. Er gedenckt eines ziemlichen hohen Thurms/ *Keleminar* genannt/in Persien/der von Hirsch- und Uhu-Hörnern aufgesetzt/ derer 2000. Schach Zamas in einer Jagt gefället hat. Ulysses Aldrovandus etiam *Ornithologia* l. 13. in T. 2. p. 73. & 76. innumerabiles apud Neapolitanos coturnicum scribit capi greges, earumve lautitiis mensas instrui Episcoporum, quæ sane fidem humanam excedit multitudo. Sic Muleasses Rex Tunensis paullatim venando tot leones jugulavit, ut numerus ad ducentorum ascenderit summam, quos omnes, cum pellem detraxisset cadaveri, stramine opletos in horto collocari jusfit. (a) Antoninum quoque Caracallam *aliquando centum apros sua confecisse manu*, auctor est Xiphilinus *in Commodo* (b) καὶ ἐν μὲν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἀκλῆς τὸ ἐκτὸν αὐτὸς μόνον ἀνώθεν διὰ τῆς περιβολῆς τῆς κρητῆδος ἀκοντίζων ἀπέκτεινε. *Ac primo quidem die centum ursos de superiori loco jaculis confecit.* Hinc Petrus Della Valle non miratur, Perficos Reges tot millia ferarum una posse jugulare venatione, cum variis diebus aliquot hominum millia isti operæ adhibeantur destinata.

Nam

(a) Zeill. *cent. 1. epist. 72.* (b) Edit. Græc. p. 297.

Nam ubi eandem, quam Olearius attigerat, turrim cornibus ferinis exstructam describit, talibus verbis istud enarrat vernaculis im 2. Th. Reise = Beschreibung am 19. Bl. Des Thurms Seltsamkeit bestehet darinn / daß er gang oben bis unten an von lauter wilder Geise / oder ander wilder Thiere Köpffen / welche ein König / oder ein Königliches näher Anverwandter in einer Haupt-Jagt gefangen und gefällt / gemacht ist. Wiewol nun dieser Köpffe viel tausend seyn / weils der Thurm hoch ist / und diese Köpffe gang dick einer über den andern ordentlich in einer Reige angenagelt seyn / daß sie alle einander anrühren / so verwundere ich mich doch so hoch nicht darüber / alldieweil diese grosse Jagten / wie dieser jeziger König annoch dergleichen thut / etliche Tage nach einander wahren / und hierzu viel tausend Menschen / beydes das Wild zu jagen / als auch aus dem Walde auszutreiben gebraucht werden.

Si igitur vel videntibus Philistæis ejusmodi quoque venationem in regione finitimâ Samson noxiarum instituit vulpium, isti nihil mali suspicantes adjumento potius fuere quam impedimento Israëlitis, donec

istarum flammis armatarum horribiliorem sensere omni opinione cladem.

Hinc porro innotescit dicti supplicii mirabilis Philistæorum causa, quia ignem coluerunt sub nomine **𐤀𐤏𐤃** *Ur*, uti laudatus demonstrat Dilherrus in *Cacozeli gentilium*, atque istud è Diaboli extrema dilucidat protervia, cui vivos immolarunt infantes, dum & ipse igne miraculosè immisso consumpsit horum sacrificia, quemadmodum ibi per totum ferme Caput XI. *Partis alterius* videre est *Specialis*. Istud autem permittente DEO Diabolo factitasse in pœnam perditissimorum Ecclesiæ hostium, duplici patet documento ex historiâ Eliæ, qui immiserat cœlo ignem cohorti ipsum comprehensuræ, nihilominus alter centurio obfirmatus à Diabolo veluti ignis rectore infesto odio minisve additis: *festina, descende, gradum repetiit ad Prophetam cum quinquaginta suis satellitibus vicissim combustus*. Quod enorme facinus animo concipere haut potuisset, nisi de astri sui fiducia, quam fecerat illis Alastor Stygius, planè dementatus, referente in lib IV. Regum Cap. 1. scriptore sacro. Atque ea propter confundendis Baalitis idem elementum elegit S. Elias lib. 3. cap. 18. v. 24. *Invocate nomina Deorum vestrorum, & ego invocabo nomen DEI mei. Qui DEUS exaudierit per ignem, ipse sit DEUS.*
Ecce

Ecce hîc digitum omnipotentis ! Quadraginta & quinquaginta Baalis ministri vociferantes cultrisve ac lanceolis sese lacerantes ne scintillam quidem excitare potuerunt unicam , dum mediis in aquis holocaustum Eliæ cum pulvere ipso telluris flamma cœlesti hauriretur totum. Deludendis igitur his ignis cultoribus absorbere oportuit ignem per vulpes impurissimas beluas illatum agros universos clade acerbiorè, quam si ussisset ipsos Philistæos, quam mortem ac si à Deastro suo depasti fuissent, placidam illis adumbrasset, cui mancipati erant, Diabolus, & melius tolerandam.

CAP. III.

Multò variores insolentioribus capturis feras collectas fuisse à Principibus, ac captura extitit vulpium trecentarum Samsonis, & sua sic constat codicis divino auctoritas.

ATqui ais, vivas tamen omnes habuit, Samson suas vulpes, quomodo ad illas comparabis feras mortuas ? Apponemus igitur & hoc capite vivas. *Leonum simul pugnam Rome primus dedit Scevola, Præfectus in curuli editate. Pompejus magnus in circo jubatos CCCXV. Cesar dictator CCC.* (a) Alii

B 4

nume-

(a) Flavius Blondus *Roma triumph.* l. 2. p. mihi 49.

numerum etiam exaggerant. Lucius Sylla der Dictator ließ hundert Löwen mit langen Mänen in seinem Richter-Amt miteinander streiten. Nach ihm der grosse Pompejus auf dem Renn-Platz sechs hundert / darunter drey hundert und funffzeben mit langen Mänen waren / und nach dem Julius Cæsar 400. (a) Allegatus Blondus addit pag. 52. *Gordianus feras Lybicas uno die quandoque mille dedit.* Quod autem multò mireris magis, Rex Pegasus opera ducentorum millium hominum quatuor millia comprehendit, elephantorum, quorum dimidiam modò partem retinuit, cæteris ad fœtus suos propagandos liberè remisissis, apud Joh. Cole- rum *Oeconomie* lib. 14. c. 59. & vernacula sic habent: Garcias de horto schreibt: Daß einſmal der König in Pegu zu einer Elephanten-Jagt zwey hundert tauſend Menſchen gebraucht habe / die haben den Platz / da die Elephanten Weide und Wohnung ſamt andern wilden Thieren gehabt / umringet / und ſeyn denn immer näher und näher zuſammen gerückt / biß ſie dieſelben in einen langen Circul gebracht / und alſo vier tauſend Elephanten in die Stallung ge- kriegt / davon er aber zwey tauſend wieder
lauf

(a) Joh. Heyden 2. Th. von vierfüßigen und kriechenden Thieren / pag. 106.

lauffen lassen / damit solche Thiere sich wieder im Lande vermehren möchten. Sic Agrammem Gandaridarum & Parrasiorum in India Regem Curtius narrat l. 9. c. 2. *quadrigarum duo millia traxisse, & precipuum terrorem elephantos, qui trium millium numerum explebant & addit ibidem ex intervallo, rarum esse animal, nec facile capi, multoq; difficilius mitigari.*

Quod si ea felicitate frueremur, ut quales hodie extant de omnibus fermè regionibus descriptiones, tales existiissent de Palæstina, cum adhuc floreret, & ad seram transmissæ posteritatem essent, næ multis molestiis defungeremur, quibus hodièdum subjicitur antiquitas atque Philologia Hebraica, sed dum Judæi suis synagogis freti nihil ab exteris periculi formidarunt, aliæque nationes eorum sacra vix primoribus attigere labris, intercedente vastatione extremâ, omnis illa commoditas, varia ut se habuere loca, & quid significârint multa vocabula, enodandi, penitus expiravit. Quicquid hinc de disfitis atque aliis adjacentibus provinciis nostri annotarunt, istud & ad Palæstinam existimo pertinere, nullis de illa licet itinerariis expressum. Ita Jodocus Schoutenius *in descriptione regni Siam* apud Bernhard. Varen. : *In regno hoc, ait, quotannis centies & quinquagies mille cervi circiter capiuntur.*

tur. Similiter de Scotia in *Icone animorum* auctor est Joh. Barclaius Cap. V. *trecentorū cerworum aut amplius agmen videre non insuetum.* Also hat man auf der Insul S. Blasii eines Tages dreytausend grosser und kleiner Meer-Wölffe gesehen / wie Sebastian Franck berichtet / im 2. Theil des Welt-Buchs fol. 5. a. Joh. Janson Strauß / am 31. Bl. *Denckwürdiger Reisen / de Insula itidem Formosa refert, immensos illic variarum ferarum circumvagari greges.* Man hat auch Schaafse / wiewohl wenige / viel wilde Thiere / Böcke / Ziegen / Rehe / Stein-Böcke / Kaninen / Hasen / zahme / und sehr wilde Schweine / Tiger / Bären / Affen / Meerfagen und Hirsche / an einer unzahlbaren Menge / welche offters in Truppen von drey tausend zusammen lauffen; Eine herrliche Jägerey für die Formosaner. *Et cum in umbilico populosisimarum gentium habitarent Israëlitæ, solo tunc fertilissimo omniumve rerū copia præ cæteris cunctis universi orbis regionibus abundante, leviculum forsitan resideat dubium, Samsonem trecentas in potestatem suam vivas redigere potuisse vulpes!*

Sed fidem pene superant, quæ adhuc narranda restant, licet nonnulla etiam brevitate gratia præteream, ne alienis me plu-
mis

mis ornem, aut quorum alii mentionem jam fecere, importunè repetam. Augustus enim Cæsar, Xiphilino memorante p. 84. spectacula populo Romano præbuit, aqua in circum Flaminium introducta, in qua sex & triginta crocodili interfecti sunt. Θεας τε ποιῶν ἐς τὸ Φλαμίνιον ἰπιδόρομον, ὕδαρ ἐσήγαγε, καὶ ἐν αὐτῷ ἕξ καὶ τριάκοντα κροκόδειλοι κατεκόπησαν. In Pompeio itidem p. 11. Καὶ ταῖς αὐταῖς ἡμέραις ὁ Πομπηίῳ τὸ θέατρον ὧ καὶ νῦν λαμπρυνόμεθα καθιέρωσε, καὶ λέοντες ἐν αὐτῷ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀναλώθησαν. Eadem tempestate Pompejus theatrum, quod nunc percelebre est, ædificavit, in quo leones quingenti diebus quinque absumpti sunt. Idem in Severo de quinquaginta urfis narrat à ceti maxima figura in teatro absorptis. Ludicrum videri posfit, quod è Gilberto Cognato lib. 1. narrat: De Heliogabalo habet Masenius (a) sed quia ad impura animalia captive non ita facilia referri possunt mures, haut ineptè & hîc addendum puto. Cum aliquando velut ad ingens spectaculum multos admisset, millena aliquot murium emisit.

Et quoniam de exoticis rariora exempla dantur, revertor ad Cæsarem Severum: ἐχμετὸ ἧ καὶ θέαι &c. Tunc edita sunt varia spectacula propter reditum Severi & de-

cen-

(a) De recto usu familiarium argutiarum lib. 1. c. 13.

cennium principatus ejus, ac victorias, quas reportaverat: in quibus spectaculis apri sexaginta Plautiani invicem certaverunt, caesaque sunt alia permulta bestia, atque inprimis Elephas & Crocota. Id animal est Indicum, ac tum primum quod sciam Romam advectum est, color ejus est leana permixta cum tygri, figura quodammodo ex cane & vulpe constat. Earum receptaculum in Amphitheatrô adificatum erat instar navis, ita ut reciperet quadringentas feras, easdemq; simul omnes redderet: quâ ex navi subito dissolutâ exilierunt ursi, leana, panthera, struthiones, onagri, bisones, quod genus boum est patria & aspectu barbarum. Occisis enim singulis diebus centum pro numero dierum festorum, qui septem fuerunt, septingenta sunt singulis diebus occisa. Iterum in Caligula. His temporibus in quodam spectaculo quingenti ursi una die interfecti sunt, ac postridie ejus diei totidem beluæ Lybicæ, hoc est, leones. Θεάτω κατάπαυή ἐγγυεῖς καὶ ἀρκυὸς τετρακοσίας μεθ' ἐτέρων λυβικῶν θηρίων ἴσων ἀπέκλεινε. In Nerone ibidem p. 161. Ἐνδε τινι θεῶν ἀνδρες τεύχεα διπὸ ἵππων συμπλάθροντες σφίσι κατέτρεπον τετρακοσίας τε ἀρκυὸς καὶ τετρακοσίας λέοντας, οἱ ἵππεῖς οἱ σωματοφύλακες ἔ Νέρως κατηκόνισαν. Per id tempus editum est spectaculum, in quo homines equis insidentes magno cursu atque impetu in tauros facti eos occiderunt, tum, ab equitibus stipatoribus

corporis Neronis quadringenti urfi cum trecentis leonibus hastis transfixi sunt. Denique *in Adriano* pag. 263. Ἐν τῷ τοῖς αὐτῷ ἡμεθλίοις προῖκα τῷ δήμῳ τὴν θείαν ἀπέμεινε, καὶ θηρία πολλὰ ἀπέκλεινε ὡς ἐφάπαξ καὶ λέοντας ἑκτὸν καὶ λεαίνας ἴσους πσεῖν. Præterea spectacula suo natali die populo gratis dedit, ubi tantus bestiarum numerus cæsus est, ut simul leones centum & totidem leænæ confectæ fuerint.

Quæcunque autem nos allegavimus, breviter ex parte contrahit Jac. Tirinus. Si potuit Julius Cæsar in spectaculum dare leones quadringentos, Pompeius sexcentos: Probus Imperator mille struthiones, mille damas, mille cervos, mille apros, mille ibices, mille oves, tot feras, tot urfos, tot leones, tot leænas, leopardos Lybicos, Syriacos, & tot alia monstra. Si ad unius monstri Heliogabali monstrosas delicias ex una urbe Roma brevissimo tempore colligi potuerunt decem millia pondo arnearum & muscarum, decem millia murium, mille mustelæ, mille fources, teste Lampridio, Plinio, &

Vo-

„Vopisco ; difficile fuerit Samsoni
 „cogere trecentas vulpes ? Nos ut ap-
 positâ quæstione è Calixti scriptis exor-
 sumus nostram dissertatiunculam , sic ejus-
 dem moderatissimi viri egregiâ similitudi-
 ne jam finiemus.

Nimirum reprehendit in allegata præfa-
 tione ad Sereniss. Principem Augustum ra-
 biosam inutiliter nonnunquam (nam de se-
 riis quæstio non est) litigantium theologo-
 rum malitiam, id quod, nec malè forsan, nos
 accommodamus ad finem nostrum de hi-
 storiis sacris, quas frivole impugnant scio-
 li dementes. *Quoniam finis, in quem re-
 spicimus & propter quem cuncta facimus,
 æterna vita est, (eundem scopum totius
 codicis divini deprædicat sub finem evan-
 gelii S. Johannes) ne frustra & sine fru-
 ctu contendamus, quæ talia sunt ut abs-
 que eorum cognitione obtineri illa possit, se-
 parari cupio. Edificantium finis est, ut
 ædes ad habitandum commodas & firmas
 extruant. Hunc finem assequi non pos-
 sunt, nisi genera lignorum discernere no-
 verint, & quæ tignis, quæ trabibus, quæ
 columnis idonea intelligent. At si, dum
 operi instant, quæstionem excitent, num-
 arbores, quæ materiam, circa quam occu-
 pan-*

pantur, præbuerunt, per corticem nutrita fuerint an per medullam; eane quippiam ad ipsos, vel finem, cui operantur, facit? Si verò super eâ securibus suis, ascis, vectibus concurrant

— Ferit hic cubito ferit assere duro
Alter, at hic tignum capiti incutit, —

Annon feliciter procedet opus. Et egregium surget adificium? Qui sapit, questionem, quæ rectissimè expedita ad negotium, quod ipsi præ manibus habeant, nil quicquam conferat, separare monebit, Et id agere, ut ades surgant ad habitandum aptæ, Et adversus cœli injurias valide. Similiter Apostolus Paulus Timotheum deterret à questionibus nihil facientibus ad ædificationem DEI, siue divinam, quæ est per fidem: jubet autem iis intentum esse, per quæ ipse servetur & illi, qui ipsum audierint. Fabris, quales in exemplum adduximus, haut absimiles sint Doctores, qui occasione questionum, per quas pietas nec melius habet nec deterius, nec fides periclitatur, ecclesiam turbant Et tragædias excitant.

Quan-

Quando tetrius in DEUM DEIq; Sanctam committunt ecclesiam, qui foedas ex ipsa Dæmonis pharetra universæ prorsus religioni inficiendæ depromunt pestilentissimasque sagittas, trabesque ac fundamenta veritatis quantum in ipsis, concutere ac subruere nulla non data occasione laborant ! Isti sanè Archeruntis architecti malorumq; genitorum genuini sodales sunt. Neque talis illos occupabit aut involvet flamma, qualis illata est agris Philistæorum, sed æternus ignis, cujus nullus unquam erit

F I N I S.

